



## DE DINOSAURIS

**Aetate mesozoicâ** aer et terra et aqua abundaverunt crocodilis et sauris volantibus et dinosauris. Dominatio (ut ita dicamus) reptilium plus 200 milionibus annorum ante aetatem nostram incohata est et 65 milionibus annorum ante finita. Hoc spatio 140 fere milionum annorum phylogenesi procedente exorta sunt animalia maxima maximeque horribilia omnium, quae umquam in terris vixerunt – velut dinosauri carnivori 6 metra alti et herbivori plus 30 metra longi et sauri volantes, qui fuerunt longitudine alarum 12 metrorum. Palaeontologi dinosauros et crocodilos et sauros volantes complectuntur grege systematico *archosaurorum*. Quarum bestiarum superstites nullae sunt nisi crocodili; sed e dinosauris nova classis bestiarum evoluta est: aves.

*Archosauri* superiore aetate *Permianâ*, id est 250 milionibus annis ante, coeperunt evolvi. Illâ aetate evoluta est nova linea parvorum reptilium, quae dicuntur *proterosuchia*. Ex iisdem exortus est ordo multiplex *thêcodontôn*, qui maxime floruit aetate *triadicâ*. Nonnullae species eiusdem magnam excoluerunt habilitatem binis pedibus progrediendi. E grege *ornithosuchiorum*, qui spectavit ad illos thecodontas binis pedibus incedentes, exorti sunt *dinosauri*.

### 1. Quomodo dinosauri reperti sint.




Iguanodon

Primum ossa dinosaurorum inventa sunt in Angliâ meridionali. Quae originem traxerunt a *megalosauro*, gigantêo animali carnívoro, et ab *iguanodonte* animali herbívoro haud minus gigantêo. Descriptiones horum animalium scientificae iam annis 1824 et 1825 publicatae sunt, sed plus decennium transactum est, dum investigatores cognoverunt haec animalia spectare ad gregem reptilium usque illud tempus ignotum et emortuum. Hoc cognitum est a *Richardo Owen*, magno anatomo



Anglo et fundatore Musei Britannici Historiae Naturalis, qui a.1841 his bestiis priscis recenter inventis nomen imposuit dinosaurorum (gr. deinós = immanis, ingens, terribilis; saÿros = lacerta).

Decenniis sequentibus in Europâ et Americâ boreali permulti dinosauri alii inventi sunt. Complura systemata sunt proposita ad eosdem in ordinem redigendum. At a.1887 demum *Harry Seeley*, anatomus Anglus, animadvertit duos esse greges dinosaurorum formâ *cincturae pelvinae* inter se distinctos. Nonnullorum enim dinosaurorum pelvis erat structurâ, quae communis est pelvi reptilium, sed alii similem pelvem habuerunt ac aves modernae. *Seeley* primum gregem dinosaurorum nuncupavit *saurischia*, alterum *ornithischia*.



*Ceratosaurus (exemplum saurischiorum) et Lesothosaurus (exemplum ornithischiorum)*

In Americâ boreali primae reliquiae dinosaurorum a.1835 inventae sunt in lapidibus *aetatis triadicae* vallis, cui nomen est *Connecticut Valley*. Haec autem reliquiae non sunt ossa, sed vestigia a dinosauris terrae impressa, quibus infallibiliter demonstratur locum memoratum 220 milionibus annorum ante intratum esse a magnis animalibus bipedibus. *Edward Hitchcock*, qui in *Collegio Amherstiano Massachusettsiano* docuit professor theologiae et geologiae, a.1848 haec vestigia impressa descripsit. At idem credit haec vestigia originem trahere ab avibus ingentibus. Duobus annis post idem vir doctus primum descripsit sceleton dinosauri Americae borealis, quem appellavit *hadrosaurum*.

A.1856 demum in America boreali prima descriptio ossum dinosaurorum est publicata. *Dr. Iosephus Leidy*, particeps Academiae Scientiae naturalis Philadelphiensis, eo anno rettulit de ossibus dinosauri cuiusdam in *Montanâ* inventis. Duobus annis post idem vir doctus primum descripsit sceleton dinosauri Americae borealis, quem appellavit *hadrosaurum*.

In Americae occidentalis parte mediâ in lapidibus *formationis iurassicae et cretaceae* (qui aetatem habent plus 65 milionum annorum) mox inventa est ingens multitudo dinosaurorum. Hae inventiones factae sunt ducibus duobus viris civitatum Americae orientalium. Uterque cum esset palaeontologus valde peritus, inter se acriter aemulabantur. Primus erat *Othniel Charles Marsh*, vir doctus Universitatis *Yalensis*,